Beylag ad p. 39

ARC 4° 792 / A3-12

Leges ~~sodalitatis Heureticae~~

§1 lex ~~primo~~ ~~[illegible]~~

§2. quilibet collegarum sibi certam aliquam materiam sumat, ingenio & viribus suis congruam, quam a praeside ad id sufficienter instructus, optima methodo (qualem prolonoëticam ~~esse~~ esse spondet praeses) pertractet, & spudasma suum deinde collegio offerat ceu symbolam, ut vicissim reliquorum collegarum laboribus fruatur mutuis.

§3. Si quam novam demonstrationem, observationem aliudve quodcunque inventum ~~[illegible]~~ non vulgatum collegarum aliquis collegio sub silentii fide obtulerit, quod quidem in liberos commentarios collegii relatum, & a registratore consignatum sit; id in jure ejus maneat, qui sub silentii fide obtulit.

§4 quicquid laboris primo semestri ab eo tempore quo cum praeside de materia excolenda convenit vel meditando, vel observando absolverit, id omne in jus praesidis transeat.

§5 quicquid ita elaboraverit praeterea, ut in eo continua quasi alterius collegae manuductione & correctione opus habuerit, id in jure ejus esse reputetur, qui manuduxit

§6 si quis collegarum spudasma aliquod collegae ex praescripto auctoris in ordinem redigerit, vel epitomen inde pro collegii usu extraxerit, vel indicem super id confecerit, aut secundum canonem ab altero collega traditum calculationem absolverit, omne id ordinatum, extractum, confectumve auctoris sit, non ordinatoris ~~a~~ aut abbreviatoris, aut calculatoris. Neque opera ista ordinariae symbolae loco numeretur, sed officii collegio debiti rationem ~~habetur~~ habeat.

§7. Liceat collegae spudasma suum alteri collegae quasi mancupio dare, sive permutatione sive quovis titulo id fiat, et petere ut Registrator in indicem referat, spudasma istud istius collegae ad illum collegam utriusque consensu transiisse, si id factum fuerit, in jure possessionis habeatur.

§8. Si quod spudasma in jure collegae alicujus secundum ~~p~~ leges praemissas fuerit, id reliquorum collegarum nulli (sub collegae nomine simul praeses in omnibus legibus comprehensus esto) sive directe sive oblique ~~d~~ divulgare, id est cuiquam communicare fas esto, sive adhuc collegii membrum sit, sive a collegio quacunque occasione vel dimissus vel exemtus ~~vel~~ exclusus sit

§9. si quis collega a collega mathematicam Heureticam edoctus fuerit idque sub silentii fide, & ope istius heureticae problemata aliqua construxerit, licitum ipsi esto ea ipsa divulgare, modo ne artem ipsam, in quantum ea inedita est, vel exe exemplis Heureticae analyseos ob oculos positis, vel expressis canonibus, praeceptis, monitis, h. e. vel oblique vel directe divulget.

§10. si quis dianoeas in liquidarum apodixeon formam traducere & apodictice examinare didicerit, apodixes quidem ipsas earumque examina sua industria confecta aliis communicandi potestatem habeat, modum vero reducendi & examinandi sedulo tegat

§11. Si quis Collegarum a collega methodum machinas tam staticas, quam spirituales, h. e. phoronomicen practicam Edoctus fuerit, machinas quidem ipsas a se inventas juxta eam methodum cui voluerit communicet, methodum auctori suo sartam tectam relinquat.

§12. Si quis collegarum scientiam e principiis & demonstratis constitutam demonstrative extendant et evulgarit, nondum evulgata parte priori istius scientiae, quam a Collega acceptam extendit: dum partem a se adjectam evulgat, priorem ~~partem~~ simul oblique evulgasse censeatur, cum principiis & propositionibus prioris ut ~~prae~~ praemissis sive sumtionibus posterior pars utatur.

§13. Si quis collegarum artem aut scientiam cryptice evulgatam ab autore suo, sub silentii vero fide collegio communicatam omni crypsi liberam cuiquam in collegium hoc non recepto crypsi denudatam proposuerit, fidem Collegio datam temerasse judicetur.

§14. Si quod spudasma collegae ad collegam vel generali vel speciali jure transierit, (generali ex lege quarta & quinta, speciali ex lege septima) id ipsum in posterum nemo, nisi is ad quem transiit, divulgandi potestatem habeat.

§15 Quicquid in collegio prolatum, propositum, traditum, explicatum, disputatum, demonstratum fuerit, quod Registrator in catalogum silendorum non retulerit, ad quamcunque scientiam vel artem pertineat, cuivis evulgare vel communicare fas esto.

§16. Collega alterius collegae symbolam non vilipendat. Sola enim ingeniosa spudasmata scopum nostrum non attingunt, requiruntur etiam industria.

§17. Quia sparsim novi collegae accedunt, ii qui protonoëticae methodi tyrocinia jam fecerunt, onere instituendi Praesidem sublevanto.

§18. Registrator spudasmata sub silentii fide collegio oblata ordine consignet, & utrum recte in commentario collegii relata sint despiciat, & catalogum eorum singulis semestribus conficiat, adscripto die & ejus qui obtulit nomine. Idem in alio indice similiter officia collegio praestita annotet, quo commodius onerum aequalitas servari possit.

§19 Fiscalis, sive quaestor collegii fiscum accurate custodiat, & quae ex eo ad communem collegii usum, v. g. ad observationes, experimenta, machinamenta, instrumenta &c, communi collegii consensu impenduntur, diligenter in rationum codicem referat. — §20 Praeses a contributione immunis esto. Reliqui quantum communibus votis, & quoties visum fuerit contribuant. — §21. quicunque in collegium hoc recipi vult, annum integrum in eodem cum Praeside loco dimoraturum se promittat, nisi peculiariter ob graves causas jam eo a praeside fuerit dispensatum. Quod si deinde praeter expectationem quid ingruat, quod promissorum invitum a Praeside abstrahat, excusatus habeatur. — §22. Si quis exclusione dignus videatur, quod utinam nunquam eveniat, communi reliquorum collegarum consensu excludatur. — §23. Leges & instituta collegii temere iis qui extra collegium sunt ne divulgentur.

ARC 4° 792 IA3 -12

An mihi, qui, etsi non rite promotus (jam hac in urbe & universitate vindebonensi docui, venia docendi lectionesque meas in cathalogum inserendi sit, an non, quaestio est, + cuius responsionem a tua erga me benevolentia audire cupio.

Casu quod sic, legam

1°. psychologiam empiricam & logicam

2°. aestheticam

Si vales & me amas gaudeo.

academicum

Etsi ad gradum (promotus, naturali omnium hominum jure hac in urbe, imo licentia superiorum (universitate vindebonensi publice docui + Postulata nostra universitate, an hac mihi sit venia (& lectionesque meas in catalogo (ut per docenti privatis inserendi, an non, nescio.

+ cuius dubii solutionem a tua erga me benevolentia audire cupio precorque. difficile est, jus tot per labores acquisitum amittere.

+ & docendi capacem, ut spero, me praebui

2 Der Vorschlag des Hrn Prof. Buttmann wegen Verlegung des Locals der Philom. Gesellsch. ins Casino